Romana Iuris Tumulandi.

Reu. Pater. PRæuio receſſu à deciſis *ſub die 20. Februarij ſuperioris anni*, ſupplicamus pro exequutione mandati Eminentiſſimi Domini Cardinalis Vicarij decernentis ab Eccleſia Titulari Sancti Martini ad Montes faciendam eſſe reſtitutionem Cadaueris clar. mem. Cardinalis Opitij Pallauicini fauore Eccleſiæ Parochialis Sancti Andreæ de Fractis, intrà cuius fines deceſſit nulla facta ſepulturæ electione.

2 Sepoſitis itaque exceptionibus parùm felicitèr ex parte Eccleſiæ Titularis oppoſitis aduersùs validitatem mandati, cùm ad infringendam illius iuſtitiam innixam ſolidæ, & incontrouerſæ Iuris Regulæ, quod *Cadauera omnium Chriſtifidelium in ſua Parochiali Eccleſia ſint tumulanda*, quam laudat *deciſio, quæ reuidetur §. Nonnulla &c.*, viſæ fuerint inapplicabiles duæ Iuridicæ limitationes, quas patitur prædicta Regula, quandò nimirùm defunctus habet Sepulcrum ſuorum maiorum, vel aliud particulare ſibi eligit; Vis tota conſtituta fuit in tertia limitatione elicita ex illo ſpeciali titulo, ratione cuius quemadmodùm Epiſcopus, Parochus, Canonicus, Beneficiatus, & Vidua dicuntur habere propriam Eccleſiam, ità etiam in illa, non autem in Eccleſia Parochiali ſunt tumulandi, quibus vel à pari, vel à maioritate rationis viſum fuit comparandum eſſe Cardinalem habentem propriam Eccleſiam Titularem, ex ratione, quod cùm in Cardinali Titulari omnium prædictorum Iura eminentèr contineantur, & decedente abſq; electione particularis ſepulturæ, in tali caſu Ius Eccleſiæ Titularis cenſeri debeat eſſe potentiùs altero Eccleſiæ Parochialis pro habendo illius Cadauere, vt in deciſione §. *Prædictæ duæ limitationes &c.*

3 Verùm inſubſiſtentia huiuſce comparationis allatę ad inducendam extenſionem correctionis Iuris Parochialis de caſu ad caſum, fit manifeſta ex eo, quod in correctorijs, & pœnalibus non valet fieri extenſio de vno caſu ad alium ex identitate, vel etiam ex maioritate rationis, per *Text. in cap. Non ſolùm, & cap. Conſtitutionem de Regular. in ſexto, & in l. præcipimus in fine C. de appellat. gloſ. in Auth. quas actiones C. de Sacroſ. Eccleſ.*, & benè de more explicat *Fagnan. in cap. Ex tranſmiſſa num. 23.*, ibi = *Qui licèt videatur eiuſdem rationis, tamen non eſt omninò ſimilis, nec ex toto eiuſdem rationis, de fil. Presbyt.*, cum notiſſimis allegatis per *clar. mem. Emerix Iun. in diſc. loco deciſ. 795. nu. 15., & deciſ. 796. num. 42.*

4 Titulus enim, quem habet Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis reſpectu ſuæ Eccleſiæ Titularis, licèt videatur eiuſdem rationis, non tamen omninò ſimilis, nec ex toto eſt eiuſdem rationis cum particulari titulo, quem habent Epiſcopus reſpectu Cathedralis, & Parochus reſpectu ſuæ Parochiæ; Quandoquidèm inſpe-

cta *Constitutione Sixtina in ordine la 55. ex §. primo propè finem*, benè inferri potest finem edendæ Constitutionis fuisse, vt quemadmodùm Summus Pontifex vniuersali Ecclesiæ Præsidens diuina dispositione Sacerdotalis potestatis Cathedram tenet in Vrbe Romæ, pari quoque ratione consentaneum est, vt Pontifex Cardinalibus, quos in Apostolici muneris functione, atque in Vniuersę Reipublicæ Christianæ administratione habet Consiliarios, & Cooperatores, in eadem Vrbe Romæ mansionem, & locum vnicuique proprium assignet.

5 Ex tali autem assignatione sub inferri non potest, quod Cardinales constituti fuerint dictarum Ecclesiarum Episcopi, proùt verè, & propriè tales sunt sex antiquiores Cardinales Episcopi in suis sex Cathedralibus Vrbi finitimis, cùm huiusmodi illationi resistat mens Summi Pontificis, optimè ex subsequentibus verbis Constitutionis manifestata, ibi= *Cuius quidèm loci concessione ijdem Cardinales, & sui Officij admoneantur, & Residentiæ, quam assistendo ipsi Romano Pontifici seruare debent, & vel ex hoc magis, tamquàm in vnum corpus compacta membra Sacro Capiti connexa esse, & ab illo dependere clariùs dignoscantur, dicto §. primo in fine*.

6 Nec veritas præfatæ illationis comprobatur ex alijs verbis Constitutionis desumptis *ex* §.12., per quæ Summus Pontifex certiores factos, & specificè edoctos esse voluit Cardinales de singulis incumbentijs eorum Officio pertinentibus, de quibus, sub generico nomine = *Sui Officij, in dicto primo* §. *in fine*, monuerat; Quia hæc, & similia relata per decisionem *in* §. *Et vtrisque &c.*, statuunt quidèm in Cardinale Titulari Iurisdictionem Episcopalem iuxtà sensum, nedùm Doctorum, & decisionum Sacræ Rotæ relatum in decisione §. *Huius tàm antiquæ &c.*, verùm etiam ipsius met *Sixtinæ Constitutionis*, quæ proindè dicitur Iurisdictio Episcopalis impropria, ficta, & diminuta ex nota indole dictionis = *Quasi*, verbum = *Episcopalem*, præcedentis, de qua collecti per *Barbos. dict.*311. *num. primo*, & vno verbo huiusmodi Episcopalis Iurisdictio à Cardinale est solùm exercibilis in sua Ecclesia Titulari extrà facultates à Concilio Tridentino Episcopis concessas, vt aiunt *Fagnan. in cap. His quæ num.*15. *cum seqq. de maior., & obed. in cap. Nè pro dilatione sub num.*42., vbi refert sic declaratnm fuisse à Sacra Congregatione Concilij, quam declarationem Gregor. XIII. approbauit, *de pœnit., & remiss., & in cap. Dilectus num.*27. *de tempor. ordinat., Paris. de resignat. lib.*7. *quæst.*12. *nu.*12., *Nicol. resol. Ciuil., & Canon. tom.*2. *lib. primo tit.*23. *num.*6. *per tot.*, cum alijs quos refert *Card. Albit. de Iurisd. quam hab. Card. in suis Tit. discept. prima à num.*74. *ad* 76.

7 Absque eo quod ipsamet qualitas personalis ratione supereminentis Dignitatis efficere valeat Iurisdictionem, quam habet Cardinalis in sua Ecclesia Titulari, ex toto eiusdem rationis, & omninò similem illi, quam habet Episcopus in sua Cathedrali,

vt

vt innuere videtur contraria decisio *in §. Et vtrisque respondet &c. vers. Nullum dubium*; Nàm suprà laudatus *Card. Albit. dicta discept. prima sub num.75. vers. Et ratio &c.* assignat rationem disparitatis, quia nimirùm facultates iure speciali concessę Episcopis intelligi debent de verè Episcopis, & non de alijs, qui non sunt Episcopi, & rationem comprobat ex *Fagnan. in cap. His quæ num.16. de maior., & obed., & in cap. Nè pro dilat. nu.42. de pœnit.. & remiss.*

8 Minusque euitari potest vis disparitatis ex eo, quod hic tantùm agatur de sepultura, & an Ecclesia Titularis habeat idem Ius contrà Parochialem Ecclesiam pro habendo Cadauere Cardinalis, quod habet Ecclesia Cathedralis pro suo Episcopo, vt prosequitur decisio *dicto §. Et vtrisque respondet &c. vers. Et maximè*. Quoniàm talis responsio petit principium, indigetque explanatione, nè versemur in æquiuocis; Aut enim, vbi agitur de sepultura Cardinalis, resolutio metienda est à facultatibus, & priuilegijs Episcopo concessis, non quidèm Iure speciali, sed proptèr status Dignitatem, & in hoc casu, si afferri possent priuilegia circa sepulturam Episcopi in sua Cathedrali, quæ dicantur concessa Episcopo propter status Dignitatem, ista vtique proderunt Cardinali, cùm, attenta praxi Ecclesiæ, priuilegia concessa Episcopis propter status Dignitatem, ad Cardinales extendi soleant propter maiorem eorum Dignitatem, & signantèr illa sex priuilegia, de quibus meminit *Gloss. in cap. final. verb. indulgemus de priuil. in sexto*, ad tradita per *Fagnan. in cap. Quod nonnullis nu.4. de priuil.*, *Layman. in Theolog. moral. lib. primo tract.5. par.3. cap.2. num. primo*, *Dian. Oper. moral. coordin. tom.9. tract.7. resol.36.*, cum alijs, quos refert, & sequitur *Card. Brancacc. in sua dissertat. de priuil. Cappell. Cardin. repetit. apud Dian. dicto tom.9. tract.7. resol.49. num.7.*

9 Aut verò metienda est à facultatibus, & priuilegijs concessis ipsimet Dignitati Cardinalitiæ, quæ censetur longè maior Dignitate Episcopali, eo quia publica vtilitas, cui Cardinales operam nauant, maior est priuata, cui Episcopi vocati in partem sollicitudinis tantùm incumbunt, ac proindè non solùm ijsdem ac Episcopi gaudent priuilegijs, sed etiam amplioribus, vt ex *Concil. Lateran. sess.9. de Cardinal.*, *Turrecrem. in Summ. lib.1. cap.81.*, *Card. Alban. de Cardinal. quæst.7.*, alijsque relatis prosequitur *Card. Brancacc. in dicta sua dissertat. num.8.*

10 Cumque in præsenti controuersia nulla allegata fuerint specialia priuilegia, quæ in Dignitate Cardinalitia statuant Ius sepulturæ redundans in eorum Ecclesias Titulares, recurri nequit ad illam quasi Episcopalem Iurisdictionem, quam in suis Titulis habent Cardinales innixam dispositioni Iuris in celebri *cap. His quæ de maiorit., & obed.*, quem latissimè exornat ibi *Fagnan. à num.15. ad 27.*, quia talis Iurisdictio licèt *in dicto cap. His quæ per Honorium III.* eminentioribus prærogatiuis fuerit decorata iuxtà tunc temporis feliciorem Sanctæ Romanæ Ecclesię statum,

ad munia magis conspicua Cardinales euocantem, vt aduertun *Germon. de Indult. Cardin. §. Tibi quoad vixeris num.2.*, ibi = *Quam ob causam priuilegijs honorantur*, *& Card. Albit. in sua prima discept. num.28.*, vbi allegat alios concordantes; Ea tamen suam non traxit originem ab Eminentissima Purpuratorum Ecclesiæ Principum Dignitate, sed ab Officio Parochi, & Parochi primitiui in Presbyteros plures, plures etiam Cappellanos excubantis, vt totidem fermè verbis obseruat *Thomasin. de benef. parte prima lib.2. cap.26. sub num.8. vers. Iuris huius origo*; quæ proindè Iurisdictio quasi Episcopalis redundare posset in Ecclesiam Titularem idem Ius contrà Parochialem Ecclesiam pro habendo Cadauere Cardinalis, quod habet Ecclesia Cathedralis pro suo Episcopo, quatenùs Cardinales Titulares retitinuissent etiam Officium Parochi, & Parochi primitiui, proùt constantissimè retinuerunt possessionem eius Iurisdictionis, qua per aliquot secula gauisi sunt Parochi, & qua cæteri Parochi spoliati tandèm fuere, vt prosequitur *Thomasin. dicto cap.26. sub num.8. vers. In eum modum*.

11 Aut denique ad indagandum, an Ecclesia Titularis habeat idem Ius contrà Parochialem Ecclesiam pro habendo Cadauere Cardinalis, quod habet Ecclesia Cathedralis pro suo Episcopo, inspicienda est facultas iure speciali concessa Episcopo, vti Episcopo, seù potiùs de sui natura inherens ossibus Episcopi post acceptam in Sponsam Ecclesiam Cathedralem, & in hoc casu, ad hoc vt Ecclesia Titularis procedat à pari cum Ecclesia Cathedrali, metienda est ratio fundamentalis, ob quam redundat in Cathedralem Ius pro habendo Cadauere Episcopi; Quo quidèm in puncto dicimus Ecclesiam Cathedralem habere Ius, quod in ipsa sepeliatur defunctus Episcopus, non quia ibi exercet Iurisdictionalia, & Episcopalia, sed quia est illius Sponsus, ibique censetur habere domicilium, cùm teneatur ibi continuè residere, vt hisce formalibus verbis tradunt *Petr. de Vbald. de Canon. Episc., & Paroch. in tit. de Canon. Paroch. cap. 9. nu.32. cum vers. Quarto quæritur*, *Sebast. Medic. de sepultur. parte prima quæst.7. num.6. cum vers. Secundò si decedat*, *Lauor. var. elucubr. tom. primo tit. 2. cap.11. num.51. cum seq.*, *Barbos. de Offic., & Potest. Episc. par.3. alleg.114. num. 40. vers. Subdit*, *Antonell. de Regim. Eccles. lib. primo cap.12. nu.28.*, *Marchett. de sepultur. tit.38. §.1. nu.78.*, *Ventrigl. in prax. Eccles. tom.1. annot.52. §. vnico num.24. vers. Respond.*, *Bellett. disquis. Cleric. parte prima §. 3. num. 9.*, *Frances. de Eccles. Cathedr. cap.17. num.8. & 17.*, *Amostaz. de Caus. pijs tom.2. lib.6. cap.8. nu.65.*

12 Quod autem hæc ratio fundamentalis cesset in Ecclesia Titulari ex eo desumi posse videtur, quia Cardinalis apud Ecclesiam Titularem nullum habet domicilium, ibique residere non est adstrictus, neque demùm est illius Sponsus, *Fagnan. in cap. His quæ num.26. de maiorit., & obed.*, *Calderin. cons.1. num.2. de translat. Prælat.*, *Lotter. de re benef. lib. primo quæst.8. nu.36.*,

Passe-

Passerin. de elect. cap.24. de postulat. quæs.12. sub num.37., ibi= *Sed Cardinalis Presbyter*, *& Diaconus cùm nullius Ecclesiæ sit Sponsus eligi potest*, *Rot. decis.233. num.19. parte prima diuers.*

13 Et clariùs desumitur ex eo, quod tametsi apud aliquos inualuerit opinio desumpta ex *cap. Ex gestis 2. de Cleric. non resid.*, quod priscis Ecclesiæ temporibus Cardinales adeò obstricti illorum Titulo detinerentur, vt per modicum tantùm temporis ab ijs abesse permittebantur, *ex Historica animaduersione Card.Brancaccij in sua dissertatione de optione sex Episcopatuum fol. mihi 40. §. Primam controuersiam*; Nihilominùs Doctores agentes de sepultura Cardinalium in nihilo considerant vinculum, quo Cardinales suis Titulis obstringebantur, sed argumento *Text. in cap. Fundamenta §. Decet de elect. in sexto*, putant Cardinales in Curia decedentes esse sepeliendos in Ecclesia Lateranensi, cùm ibi dicantur habere domicilium, vbi Papa residet, & ipsi continuè assistere tenentur, vt videre est apud *Dulph. de sepultur. cap. 4. num.19.*, *Samuel eodem tit. tract.1. controu.11. nu.6. in princ.*, *Sebast. Medic. eodem tit. parte prima quæst.7. num.5.*, *Marchett. eodem tract. tit.36. nu.100.*, *Lauor. var. elucubr. tom. primo tit.2. cap.11. nu.47.*, *Amostaz de Caus. pijs tom.2. lib.6. cap.8. num.62.*

14 In nihilo releuante, quod *Cobell. notit. Cardin. cap.16. priuil.38. vers. verùm*, *& Passerin.* (illum transcribens) *de stat. Hom. quæst.187. art. 4. num. 32.* euntes in sententiam Ecclesiæ Titulari fauorabilem moueantur ea ratione, quod Cardinales ibi exercentes Iura Episcopalia, censendi sint ibidèm habere domicilium, non secùs ac habet Episcopus in sua Cathedrali; Quià tametsi Sac.Rota magni fecerit hanc rationem *in decisione §.Sed nonnulli*, *& §. Nec obstare &c.*, nouit tamèn eam nihil concludere, ac pro remouenda ratione fundamentali Iuribus Parochialibus assistente, recurrit tùm ad dignitatem Cardinalitiam, præsupponens, quod ità se habeat dignitas Cardinalitia ad Ecclesiam Titularem, sicutì se habet dignitas Episcopalis ad Cathedralem; tùm etiàm ad consuetudinem sepeliendi Cardinales in suis Ecclesijs Titularibus, de qua vltrà *Cobelium, & Passerinum* testari voluerunt *Samuel. de Sepultur. tract.1. dubit.5. controu.11. num.6. in fin.*, *&* (sub fide istius) *Murga disquisit. moral. tom.1. tract.8. dub.7. conclus.1. in princ.*, *& fine.*

15 Neutra tamèn ex hisce ponderationibus prodesse videtur, non quidèm prima, quià sola dignitas Episcopalis non facit *V.G.* Caium Episcopum Cathedralis ex eo, quod sit destinatus Episcopus Ciuitatis, nisi etiàm Iura Pastoralia, & Episcopalia suscipiat, vt exemplo Beati Petri in Vita Christi Domini Vniuersalis Ecclesiæ Pastoris destinati, aliorumque Episcoporum ab ipso Beatro Petro ad maiores Vrbes destinatorum probat *Frances de Eccles. Cathedr. cap.2. à num.118. ad 123.* ex illa autèm Iurium Pastoralium, & Episcopalium susceptione perficitur ille contractus, per quem Episcopus obligatur ad residendum in Cathe-

 drali,

drali, & pascendum Gregem sibi commissum, & Cathedralis acquirit Ius vindicandi Cadauer sui Pastoris.

16 Dignitas verò Cardinalitia (præter quam quod subsistit in Cardinali Pileato sine Titulo) seù Cardinalis per adeptionem Tituli contrahit quidem cum Ecclesia Titulari, ac facultatem acquirit exercendi in ea Actus Iurisdictioni suæ dignitati proportionatos, quià verò non obligatur ad residendum, eaquè peragendum, quæ priscis temporibus decebant, narrata à *Cardinale Albitio in sua prima discept. num.* 25.; Hinc Ecclesia Titularis nequit acquirere Ius vincandi Cadauer sui Cardinalis Titularis, proùt forsan acquireret, si felicioribus hisce temporibus fas esset dicere cum *Cardinale Belarmino tom.* 2. *controuersiarum lib.* 1. *cap.* 16. *de Clericis vers. pari ratione &c.* quod nempè Presbyteri, & Diaconi Cardinales in Ecclesijs suorum Titulorum sunt velutì Parochi Episcopo subiecti, cuius opinionem quamplurimis alijs Doctoribus communem benè exposuit, & declarauit *Cardin. Albitius in dicta prima discept. sub num.*39. ibi = *vt scilicèt intelligatur de antiquo statu, & Iurisdictione antè tempora Bonifatij VIII., & sententiam Honorij III. in cap. bis, quæ de maior. & obed.*

17 Atquè hinc ad suadendum vinculum sponsalitium intèr Cardinalem, & Ecclesiam Titularem, aptum ad constituendam Ius in Ecclesia Titulari pro vindicando Cadauere Cardinalis Titularis, frustrà allegatur dissolutio talis Vinculi, quæ obitum Cardinalis subsequitur; Scimus enìm, quod mors omnia soluit, non tamèn omne Vinculum ità facit coalescere in vnum partes Vinculo colligatas, proùt facit insertio fruticis; adeoùt benè dicatur, quod Cardinales sint aliquo Vinculo addicti pluribus Ecclesijs, quas habent Commendatas, illudquè per mortem dissoluatur, hoc tamèn Vinculum non facit coniugium, aliàs sinè monstruositate nullus Cardinalis pluribus Ecclesijs potuisset antiquitùs intitulari, & plures vni, vt ex *Synodo Romana sub Gregorio Magno obseruat Cardin. Albit. dicta prima discept. num.* 20. quo fit, vt sine aliqua dissolutione nostris hisce temporibus, sumpto initio ab anno 1400., liceat Cardinali Titulum retinere, & ad Episcopale Coniugium conuolare, imò inito vno Coniugio, liceat etiàm Titulum dimittere, & retento primo Episcopatu, ad alterum ex sex suburbicis Episcopatibus transire, vt non omnium primus facto comprobauit *Cardin. Brancatius Episcopus Viterbiensis*, & memoriæ Hominum tradidit *in sua dissertatione de optione sex Episcopatuum* §. *Attamèn nulla Ecclesiarum Polygamia &c.* cum antecedenti *fol. mihi* 41.

18 Multò minùs prodesse videtur secunda ponderatio sumpta ex cōsuetudine, de qua testantur supradicti Doctores laudati *in decisione* §. *Sed nonnulli &c.*, ijs enìm non creditur, nisi talis consuetudo verè probatur secundùm veriorem, & magìs communem opinionem, quam contrarijs reiectis defendit *Bursatt. consil.* 16. *num.* 37. *lib.* 1., & firmat *Rota coram Mohed. dec.*2.& 3.

de

de consuet., *coràm Mantic. dec.357.nu.6.*, *& in recent.dec.*101. *num.*14.*par.*10.

19 Ijsque de asserta consuetudine testantibus, & euntibus in opinionem Ecclesiæ Titulari fauentem non meretur adscribi *Cardin. Hieron. Alban. de Cardin.quæst.*50. *vers. vel dicamus*, ibi enìm laudatissimus Author (qui intèr cæteros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales se subscripsit supradictæ *Constitutioni Sixtinæ æditæ Idibus Aprilis* 1587.,vt videre est intèr impressas eiusdem Pontificis *la* 55.) cùm probè sciret ex dicta Constitutione non fuisse iniunctam Cardinalibus Residentiam Physicam,aut Moralem (de quibus agit *Card. Brancacc.dicta dissert.de option.§.Inter diuersas fol. mihi* 47.,) efformat quidèm casum quæstionis *in versic. si verò Cardinales*, non tamèn firmat absolutè sententiam pro Ecclesia Titulari, sed post relatas illam, ac varias Doctorum sententias, in fine suam aperit per verba -- *firma autèm sententia est*, *eos in Ecclesia*, *in qua Diuina Officia frequentiùs audiunt*, *& Sacramenta recipiunt*, *sepeliri debere* -- ex quibus tutiùs inferri potest,quod approbet sententiam Ecclesiæ Parochiali fauorabilem, in qua tametsi Cardinales raro, vel numquam audiant Diuina Officia, tamèn Sacramenta recipiunt ab ea, vt est notorium, & tradit *Passerin. de stat. Homin. tom.* 2. *quæst.* 187. *art.* 4.*sub num.* 320. *vers. & de facto &c.* proùt Sacramentum extremæ Vnctionis recepit à Parochiali Ecclesia Sancti Andreæ Cardinalis Pallauicinus.

20 Agnoscit Sacra Rota in decisione, quæ reuidetur, non esse tutum fundamentum originale consuetudinis, quo vtitur *Cohelius*, vt diuertat à communi opinione, quod Cardinales sepeliri debeant in Basilica Lateranense, in qua dicuntur residere assistendo Summo Pontifici illius Episcopo;quod nempè sicutì ex consuetudine inualuit, quod Summus Pontifex sepeliatur in Basilica Vaticana, ità etiàm Cardinales sepeliantur in suis Ecclesijs Titularibus, ex regula satìs nota, quod consuetudo attenditur solùm in casu, in quo seruata fuit, *l. quod verò* 13., *& l. quod non ratione* 38. *ff. de legib.*, *Bald. in cap.* 1. *n.* 21. *qui feud. dar. poss.*, *Marchett. de Sepult. tit.* 38. §. 2. *num.* 88.; *&* 89., *Rota coràm Ludouis. decis.* 162. *per tot.*, *& in recent. decis.*278. *à num.* 6. *ad tres seqq.*, *& decis.*304. *nu.*8. *par.*12., *& dec.*484. *num.*11. *par.*19. *tom.*2.

21 Propterea supponit *in §.Et quamuis &c.* non deesse casus particulares, licèt ignoratos à Doctoribus de ea testantibus, figitquè pedem in adnotationibus repertis in Diarijs Magistrorum Cæremoniarum. Verùm ijs benè perpensis dicimus, ex casibus in decisione relatis nullam probari consuetudinem Ecclesijs Titularibus fauentem, benè verò Parochialibus Ecclesijs. Et quidèm, sequentes ordinem temporis, allegatur *casus Cardinalis de Rubeis* Affinis Leonis X., quem Seruantius (ad ostentandam eximiam sui muneris experientiam, cui Ecclesia Parochialis Sancti Laurentij in Damaso acquiescere nequibat) adnotauit in

suo

Parochialis Sancti Laurentij in Damaso acquieuerit illius consilio, quodque sequuta celebratione Vigiliarum in Ecclesia Sanctæ Agnetis vnà cum tumulatione Cadaueris, nil vltrà quæsierit. Nihilominùs diluitur æquiuocum ex maturiori ponderatione adnotationis Seruantij, & clariùs ex actis Iudicialibus occasione illius controuersiæ inter Partes sequutis, & nouissimè repertis; Quo enim ad dictam adnotationem supplicamus animaduerti, quod acquiescentia Ecclesiæ Parochialis Sancti Laurentij in Damaso, de qua testatur ibi Seruantius, non est referenda ad eius consilium, quod in vtroque puncto illicò edidit contra eam, sed referri debet ad prouisionale decretum Iudicis Tribunalis Eminentissimi Cardinalis Vicarij, quod nempè funus celebraretur in Ecclesia Sanctæ Agnetis, ibique etiam Cadauer sepelliretur sine præiudicio Iurium Parochialium, quæ iura vltrà quartam Canonicam, comprehendunt, & totam impensam funeris debitam Ecclesiæ Parochiali, vbi funus minùs iuridicè extrà illam paratur, & ius vindicandi Cadauer pro Sepultura, ad notata per *Innoc. in cap. 1. vers. item in Sepulturis, & vers. idem dicimus de Parochijs, & alienis Parochian., Francesc. de Eccles. Cathedr. cap. 17. num. 165., & cap. 21. num. 25., Carol. Marant. controu. tom. 4. respons. 21. num. 4. & 7., Rota coram Coccin. dec. 2089. num. 5., & 7.*

28 Quod videtur esse etiam de mente Seruantij, qui processit in adnotatione ad referendum nonnullos actus Iudiciales in triangulari Iudicio successiuè actitatos, quorum euentum Ecclesiæ Parochiali fauorabilem, triennio post sequutum, tunc ipse preuidere non poterat, vtpotè qui in percurrendis antiquis diarijs suorum antecessorum, nimiùm sollicitus, vt citiùs absolueret lecturam, omisit casus præcisos ab illis adnotatos; Ex prædictis verò actis nuper inuentis in *Summario Num. primo*, subiecimus oculis Reuerendissimorum PP. instantiam, quam fecit Ecclasia Titularis Sancti Eusebij pro consequutione Cadaueris, & emolumentorum, nihilque obtinuit, subindè verò repetita eadem instantia ab Ecclesia Parochiali Sancti Laurentij obtinuit decretum fauorabile pro consignatione omnium emolumentorum; videant itaque Reuerendissimi Patres, quis succubuerit in Iudicio, & an per voluntariam acquiescentiam Parochialis Ecclesiæ vnicæ retentioni Cadaueris in Ecclesia Sanctæ Agnetis (eius districtuali, & olim filiali, vt testatur *Rota coram clar. mem. Emerix Iun. decis. 1243. sub num. 5. vers. minùs etiam*) quidquam fuerit præiudicatum Iuribus Parochialibus, an verò potiùs Ecclesiæ Titulari Sancti Eusebij, quæ post Iudicialem reiectionem nec Cadauer, nec obulum ex emolumentis percepit.

29 Reiecta ex his prætensa consuetudine Ecclesijs Titularibus fauorabili ambigendum non est, quìn fortius dici queat constabilitum Ius Parochiale ex casibus Cardinalium Sarnani, & Gualterij, ob coactam acquiescentiam Ecclesiarum Titularium, constituentibus benè quadrantem obseruantiam fauore Parochialium,

lium, vt in durioribus terminis probat suprà laudatus *Altograd. cons.42. num.55. lib.2.*

30 Attamen omissa, tamquam superflua, discussione paritatis desumptæ à Parocho, Canonico, & Vidua, quorum primus in materia Sepulturæ regulatur ex ijsdem iuribus cum Episcopo. Ea verò, quæ firmantur in decisione de Canonico, & Vidua, dependent, vt plurimum, vel à consuetudine, vel à præsumpta electione Sepulturæ, qua deficiente, sepelliri debent in Parochia, vt de Canonico declarat *Marchett. tit. 38. §. 2. num. 46.* ibi = *hic declaro quod si in Cathedrali non adsit Sepulchrum proprium Canonicorum, nec Canonicus elegerit sepulturam, vel habuerit sepulturam maiorum, non tumulatur in Cathedrali, sed in Parochiali* = de Vidua verò idem *Marchett. tit. 38. §. 9. num.* 178. subdit in casu, quo vir careat sepultura, ibi = *Vxor non sepellitur in sepultura Viri &c. sed in sepultura maiorum ipsius Vxoris, & illa deficiente, in Parochia, nisi ipsa Mulier sepulturam elegerit.*

31 Descendimus ad remouendum obiectum deductum in decisione contra inconcussam obseruantiam singulis Ecclesijs Parochialibus Vrbis assistentem pro exigenda quarta funerali ab alijs Ecclesijs, in quibus tumulantur Cardinales habentes, seù eligentes sepulturam extrà Parochiam, ex qua inferebamus non esse fundatum ius Ecclesiæ Titularis pro sepultura Cardinalis, cùm neque administret Sacramenta Cardinalibus Titularibus, neque recipiat quartam ex illorum funeribus, quod motiuum, vtì nimìs probans, reijcitur *in decisione §. Nullius pariter.*

32 Addimus igitur, quod à Sacramentorum administratione plurimum dependet ius Sepulturæ, vt vno ore firmant *Scribentes in cap. 1. de Sepultur. in 6.* quorum aliquos cum cæteris concordantibus allegat *Ventrigl. in prax. annot.52. §.vnic. sub n.26.*, *& Rota in dec.348. num.9. par.11. rec.*, *& coram Priol.dec.365. num.3.*, nè autem per voluntariam electionem sepulturæ, quam quisquis habet extrà suam Parochiam, ista fraudetur emolumentis occasione funeris, & sepulturæ sibi obuenientibus; à Iure Canonico, inducta est quarta funeralis in recognitionem oneris, quod propter Sacramentorum administrationem Parocho incumbit *cap.1.*, *cap. relatum*, *cap. de ijs de sepult.* & ob id inter iura Parochialia connumerari, præter *Doctores suprà laudatos in §. Crescitque in fine*, probant allegati à *Panimoll. decis. 5. in annot.4. num.1.*

33 Præmisso hoc fundamento illatio videtur tuta, nimirum, quod si vera esset opinio, quod Cardinalis decedens non electa sepultura, vel non habens Sepulcrum maiorum deberet sepelliri in Titulo tamquam sua Parochia, prout dicimus de Episcopo in sua Cathedrali, ità etiam quotiescumque Cardinalis eligit sepelliri in aliena Ecclesia, vel habet Sepulcrum maiorum, persoluenda esset quarta funeralis Ecclesiæ Titulari, sicuti ex funere Episcopi in simili casu soluitur Cathedrali; vndè quià videmus

Eccla-

Ecclesias Titulares numquam habuisse ius consequendi quartam funeralem debitam in recompensationem ablatæ sepulturæ, necessè etiam est dicere, quod numquam habuerint ius sepelliendi, aliàs iniquum esset, quod Titularis Ecclesia, quæ reputatur Cathedralis pro habenda sepultura, non esset etiam talis reputanda pro resarcienda iniuria ablatæ sepulturæ?

34 Neque demùm subsistit, quod *statutum Cleri Romani in cap. 4. de Canonica portione*, præsupponat Cardinales alibì sepelliri non posse, quàm in Titulo; quià animaduerti oportet, quod illud in §. *6. dicti cap.* 4. mandat Cadauera extrà limites Parochiæ non deponi absque Parochi licentia, at ex eo, quod excipiat Cadauera Cardinalium, à lege petendi licentiam, non ob id inferri potest, quod excipiantur ex præsupposito, quod legi Parochiali non subsint, nàm excipi videntur ob consuetudinem, quod deponantur in Ecclesijs vicinis amplioribus propter commodiorem vsum exequiarum, vt patet legenti; neque etiam statutum procedit cum tali præsupposito in §.21., vbi loquens de eorum familiaribus, non facit verba de Cardinalibus, quia de Cardinalibus verba fecit in antedicto §. *6. seù* 7., ac propterea citrà vitium incongrui sermonis, vel superfluitatis de Cardinalibus verba non erant ibi repetenda.

Quarè &c.

Camillus Spretus Aduocatus.

R. P. D.

PRIOLO

Romana Iuris Tumulandi.

PRO

Ven. Ecclesia Parocchiali S. Andreæ de Fractis.

CONTRA

Ven. Ecclesiam Titularem S. Martini ad Montes.

Iuris D. Spreti post decis.

ROMÆ, Typis Reu.Cam.Apost. 1703.
Superiorum permissu.